



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Eutychius M. 15. Aprilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

15. April. VITÆ SANCTORUM. 245  
ad FRONTONEM, inde exonerati ad  
divitem iterum, qui miraculo motus an-  
niversariam deinde eam liberalitatem ef-  
se voluit. Ex vit. PP.

*Avare fac tibi sacculos, & fac juben-  
te Deo; sed fac erogando; quia quidquid  
pauper acceperit, Pater cælestis suscipit:  
& ubi recondit? In cœlo, & ne forte per-  
didisse te doleas vel usuram, centuplum  
percipies, quidquid in cœlum paupere præ-  
miseris perferente. S. Chrysol. 1. 25.*

S. EUTYCHIUS M. 15. Aprilis.

**H**oc die Ferentinates EUTHYCHIUM  
Martyrem colunt, etsi ubi, aut quan-  
do animam posuerit, nesciant Annales.  
Sed hæc Fasti olim cælestes loquentur;  
nam istis sua commendare, hoc demum  
ego æternum famæ monumentum credo.  
Et nos quidem etiam olim facta nesci-  
mus, at EUTYCHIUS etiam post mor-  
tem vates futura scivit, & ut scirent  
alii, è tumulo monuit. Etenim Re-  
demptus Pont. forte templa sua obibat,  
sacra & sacrorum curatores non (quod  
hodie fit) alienis, sed suis oculis inspe-  
cturus, Ventum est. Ferentinum Hic  
fessus lectulum sibi adornari propter tu-  
mulum Martyris imperat, rectè humana  
æstimans, tantumque censens à sepul-  
chro lectum distare, quantum mors &  
mortis germanus frater somnus distant.

- Q3

Tunc

246 VITÆ SANCTORUM. 16. April.  
Tunc quoque inter curas insomnem ferè  
noctem agenti E U T Y C H I U S visus ad-  
stante, & querere num vigilaret? affir-  
mant deinde illa verba tertium inclama-  
re: *finis venit universæ carnis*, simul vati-  
cinium ipse quoque finire. Atque hæc  
noctis prodigia diei portenta exceperunt.  
Visa & audita cælo arma quassari, &  
vento Aquilone duce castra ignea & i-  
gneæ acies imminere. Hæc vero omnia  
explicarunt non multò post Langobardi,  
cum è Septentrione Italiam se infuderunt,  
sacra humanis, humana sacris miscue-  
runt, clademque patriæ intulerunt. In-  
ter hos ipsos tamen armorum strepitus  
suaviter Redemptus obdormivit. Ob-  
dormivit inquam, nam parum differre  
mortem à somno ostendit vivus cum  
mortuis dormiens. Ex Ferrar. & Greg.  
Mag. Dial.

*Petendum nobis est, ut Deus nos à Dia-  
bolo liberet, qui Christum terris, ut diabo-  
lum vinceret, commodævit. Clamet homo,  
clamet ad Deum, clamet, Libera nos à  
malo; ut à tanto malo, solo Christo vincen-  
te, liberemur. S. Pet. Chrys. ferm. 70.*

S. JOACHIMUS CONF. 16. Aprilis.

**F**elices Senæ! vel ideo quod inter tot  
mundi hodie libertos, ipsæ servos tot  
VIRGINIS numerant. Ex his JOA-  
CHIMO nostro pileum hodie in cælo

Der-